

sinæ, Festo item Sanctorum Philippi & Jacobi Apostolorum, ac tandem Festo quoque S. Stephani Regis se se conferre, ibidemque in Domo Praetoria Consensus Iudiciarios celebrando, tam diu donec necessitas Concurrentium Causarum postulabit, remanere, Partibusque Iustitiam administrare teneantur, exceptis tamen Legalibus Ferijs, Juristitorumque temporibus, reliquis vero Juridicis & aptis Anni temporibus pro Banali Tabula & Sedibus Judiciarijs Comitatum relictis. Incumbet autem Regnicolis coram hujusmodi Tabula Causas suas promoturis ita mature & tempestive apud futurum pro tempore Praesidem, vel eo vacante aut legitime impedito, vel interessato, apud primum ejusdem Tabulae Assessorem & Conjudicem, semet debite insinuare, ut contra Partes eorundem legaliter eatenus certificari queant, et si vel unus duntaxat Causantium se insinuaverit, Officiumque ejusmodi tempestive interpellaverit, eo facto Praeses et reliqui ejusdem conjudices sub Poena legali ad Locum praedeterminatum convenire et Judicialiter tanto quanto opus fuerit tempore considerare et in concursu plurium Causarum Legalem seriem, Pauperumque et Viduarum ac Causarum vetustatis reflexionem habere, Justitiamque omnibus aequaliter sancte et intemerate administrare obligabuntur. Si porro nullus absolute Causantium ante destinatos modo praevio Terminos apud praeattactos Judices semet insinuaverit, aut ex praecedenti vel praecedentibus ejusmodi Terminis aliquae indecisae Causae et Processus non manserint, tali pro casu ipsi quoque Iudices pro imminente aliquo ex modo praevio designatis Terminis eorum comparere et ibidem tempus inaniter consumere nequaquam teneantur. Et vice versa, si etiam extra et praeter supra denotatorum Terminorum tempora, praesertim aliqua Inops et miserabilis Persona Judicium et Justitiam a praelibata Tabula Judiciaria postulaverit, praemissis de Lege et Jure praemittendis, tali etiam extraserialiter toties quoties necessum fuerit, omnem debitam Justitiam et Satisfactionem administrare. Eidem vero Tabulae, seu ejusdem Commissionibus et Exmissionibus, Judices et Vice-Judices parere obligabuntur. Taxae porro Expeditionum ejusdem Tabulae Judiciariae pro sublevamine Causantium, ad ratam medietatem illorum, quae hactenus exigi consueverunt, reducantur, Iisdemque tam Judices, quam et Scribae eorundem contententur. Appellationes demum, tam a praerepetitae Tabulae, quam etiam Comitatus Sediarum Judicio intra Dominium, seu suspensa latae Sententiae Executione, ad Tabulam Banalem, inde vero ad tenorem Articuli 27. 1723. ad Tabulam nostram Regiam Iudiciariam interponi admittantur & eo etiam transmittantur, solo casu imminenti Distractionis aut dilapidationis rerum adjudicarum, nullius item, vel insufficientis Cautionis, excepto, in quo juxta Articulum 28. Anni 1715 usque ulteriorem Causae Decisionem, Sequestrum imponendum erit. Caeterum id quoque juxta demissum Fidelitatum Vestrarum Postulatum Iisdem clementer hisce admittendum esse duximus: Ut praeter et ultra Causas Prothonotariali Foro antehac subjectas, causae quoque contra Supremos aut Vice-Comites, quorumvis praespecificatorum Regnorum Comitatum, seu in Personalibus, aut etiam realibus, promovendae, quae alias Foro Comitatus subessent, ibidem in prima Instantia judicandae, ad tollendum omnem rationabilis Diffidentiae aut interessentiae cuiuspiam fomitem et Suspicionem, in praedecarata Judiciaria Tabula in prima Instantia Legaliter in futurum promoveri possint.

Quibus taliter resolutis et applacatis Fidelitatibus Vestris clementer hisce committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, eo, quo Praeses. As-